Yale

Yale University Library Digital Collections

Title	Burgundia Comitatus Vulgo La Franche Comté.
Call Number	3845 1635
Creator	
Published/Created Date	[1635?]
Rights	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement
Extent of Digitization	Completely digitized
Container information	BRBL_00179
Generated	2024-01-22 00:36:26 UTC
Terms of Use	https://guides.library.yale.edu/about/policies/access
View in DL	https://collections.library.yale.edu/catalog/15483980

recto

Image ID: 15486034

verso

Image ID: 15486035

tu & Vice-comitatu, ad illuſtrem Gorvoudenſium ſpectante familiam decorum, de primatu contendere videatur. Oppidi hujus Conſul ſive Præfectus, Capitanei Majoriſque titulis inſignis eſt; habetque hic locus celebres quæſtuoſaſque Salinas, quarum originem Ludovicus Golutus lib. Notarum Hiſtoricarum 2, à capite 23 uſque ad caput 33 incluſive, veluti memorabiliorem, accurata deſcriptione pertexuit. Reliqua, præter Dolam ac Salinarum oppidum, Comitatus Burgundiæ oppida ſunt, *Gray*, Præfecti Provinciæ ſedes, quod oppidum regulari munitione, ut

Dolæ obſidio.

& Dolam urbem Carolus V, Imperator, circumdedit: quæ etiam anno 1636 trimeſtrem fortiter obſidionem toleravit, abſiſtere coacto Principe Condæo, cum quod propter obſeſſorum pertinaciam de exercitu ejus magna fieret diminutio, tum etiam quod auxiliares obſeſſis copiæ non procul abeſſent. Hoc ipſo tempore Parlamentum, cum Veſontino Archiepiſcopo ſtatum Provinciæ dirigens, obſeſſa erat Dola incluſum.

Oppida præcipua.

Sequuntur oppida *Veſoul*, *Lons-le-Saulnier*, *Poligny*, *Arbois*, *Baume*, *Pont-arlier*, *Ornans*, *Orgelet*, *Quingey*, *S. Claude*, *Lexeul*, *Champlite*, *Clervaux*, *Lille*, *Bleterans*, *S. Amour*, *Villafans*, *Peſmes*, *S. Laurent de la Roche*, *Ionvelle*, *Fau:ogney*, *Villersſucel*, *S. Hippolyte*, *Ray*, *Gy*, & quædam alia.

Militia & arma.

Ad rem militarem quod attinet, Ballivatus ſinguli ſingulas legiones pedeſtres, ac certum equitum numerum alunt; vaſallis quoque, cum bellum aut propulſandum, aut inferendum, ad conſcribendum equitatum obſtrictis, qui Prætorem Amontium habet ductorem; univerſæ autem militiæ præeſt regius Provinciæ Præfectus. Præter Gubernatorem ſive Præfectum Provinciæ, Ballivoſque ſive Prætores prædictos, eſt quidam Sylvis Præfectus, cui vicarii, aliique ſubſunt miniſtri. Habent etiam Dola & Gray oppida peculiares Præfectos, quibus magna ſæpè de portarum occluſione, recluſione, ac cuſtodia, viſitatione mœnium, & his ſimilibus cum Magiſtratibus contentio eſt, quod Magiſtratibus horum locorum ampla fuerint à Regibus ſeu Dominis ſuis privilegia conceſſa, ſervatæ variis in bellis fidelitatis ac conſtantiæ argumento.

Clerus.

Summo in honore hîc Clerus habetur, in cujus manibus beneficia Eccleſiaſtica plurima, ac dignitates non paucæ ſunt. Primus Archiepiſcopus Veſontinus fertur S. Linus D. Petri ſucceſſor fuiſſe; Capitulum autem Veſontinum *Inſignis* titulo inclytum, magnum Decanum, magnum Archidiaconum, magnum Cantorem, magnum Theſaurarium, alioſque Archidiaconos minores habet; tum Canonicos mitratos, panniſque violaceo ac rubro colore Epiſcoporum inſtar veſtitos. Sequuntur hoc Inſigne Capitulum Capitula S. Anatolii, S. Mauritii, & S. Michaëlis Salinarum in oppido, aliaque in oppidis *Dole*, *Gray*, *Poligny*, *Arbois*, S. Hippolyti, *Colmoutier*, *Nozeroy*. Abbatiarum item utrique comparatarum ſexui, Commandariarum pro Equitibus Melitenſibus, ac Prioratuum tam Conventualium quam ſimplicium ſive ruralium, quibus eos nominibus incolæ diſtinguunt, hîc ingens eſt numerus.

Amnes.

Amnium Comitatus Burgundiæ præcipuorum vulgaria nomina iſta ſunt: *la Saone*, *le Doux*, *l'Ougnon*, *la Louve*, *l'Ain*, *le Deſoubre*, & *le Liſon*. Hi cùm vario piſcium genere abundent, tum maximè truttis, rariſſimis alibi piſcibus.

Metalla.

Nec cupri, ferrique metalla deſunt; effoditurque purpuram mentiens color è monte cognomento Caſtelli Lambertini, qui in varias Galliæ ac Germaniæ regiones avehitur. Ceterum mons hic inter celſiſſimos Europæ montes computatus, ſummo vertice in vaſtam ſe planitiem explicat, herbarum medicarum, Iuræ montis exemplo, feracem.

Lapides.

Alabaſtriten cum jaſpide Sanlothanum Sampanumque loca ſuppeditant.

Admiranda.

Miraculi autem loco eſſe poteſt locus ille, qui vulgò *la Froidiere* dictus, horrendæ ſpecus ſeu potius abyſſi ſpeciem exhibet, in quo per omne anni tempus, Iulio adeo atque Auguſto menſibus, cum Solis ardores augeſcunt, conſtantes glacie montes viſuntur; conchyliorumque extrorſum villoſorum innumera multitudo apparet. Adhæc juxta *Quingey* oppidum longa lataque crypta ſubterranea eſt, cujus extrema in ſpatioſa dilatantur conclavia. In his ſine ullo artificio humano varias rerum imagines cælato opere cernes, à natura vi certæ diſtillationis ad menſuram lapideſcentis tam ingenioſe expreſſas, ut ſculptorum etiam peritiſſimi hîc quod admirentur, nec tam facilè imitari arte ſua poſſint, inveniant.

Soli fertilitas.

Generoſorum equorum, vinique præſtantis fœlix apud Sequanos proventus eſt; meliore vero nota ſunt digna vina, quæ circum *Arbois* & *Chaſteau-Chalon* loca naſcuntur. Ceterum Comitatus Burgundiæ omnibus rebus affluit, quæcunque aut uſu neceſſariæ ſunt, aut delicatis ambitioſæ; quamobrem is in Ioannis Boteri relationibus *Galliæ Compendium*, & in Paradini Hiſtoria Burgundiæ *Provincia minimè vicinorum populorum egens commercio* appellatur. Inter arces porro, quæ plurimæ in hoc tractu ſe offerunt, memoratu dignior illa eſt, quæ S. Annæ ſignata nomine, in Principum Auriacorum ditione eſt.

Mores Incolarum.

Incolas magnitudo animi, ac teſtata tot in bellis alacritas, amorque conſtans in Regem ſuum, religionemque Catholicam commendant. Ab his virtutibus illud boni evenit, ut regio non ampla, ab anno 1636 uſque 1643 annum ad medium perductum, maximis Gallorum copiis potenter reſtiterit, quæ haud multo antè annuo tempore Lotharingiæ, Barrenſemque Ducatus, Ducatum Sabaudiæ brevi ſeptimanarum ſex intercapedine, Principatus *Montbeliard* & *Porentru* labore dierum quindenûm, Alſatiamque ſemeſtri ſpatio ſubegerant.

Immunitas & Independentia Comitatus.

Liber eſt Burgundiæ Comitatus incolentium reſpectu, qui ſunt à vectigalium præſtatione immunes; liber idem Dominantium reſpectu, quibus is Divina gratia, ac victrici enſe duntaxat eſt partus, quemadmodum Ludovicus Golutus Notarum hiſt. lib. 4, cap. 15, capite item 39 libri ejuſdem teſtatur, qui feudorum Imperii Burgundiæ Comitatum eximens, plura ei ſubjecta haud ignobilia feuda recenſet, interque alia Comitatum *Montbeliard*, qui Wirtembergenſis Ducatus appendix, Principatuum S. R. I. numero cenſetur; tum Vice-comitatum *Auſſonne*, qui Ducatus Burgundiæ portio, Gallici nunc juris eſt,

quon-

BVRGVNDIÆ COMITATVS,

vulgò

LA FRANCHE COMTÉ.

Nomen.

Comitatus Burgundiæ, cognomento *Liber*, ac vulgariter *la Franche Comté* appellatus, (ſub quo nomine, nullo Burgundiæ addito vocabulo, vel mediocriter peritis notiſſimus eſt)

Dimenſio.

longitudine ſua quadraginta circiter leucas occupat, latitudine dimidium ſpatium duntaxat.

Limites.

Terminatur is qua Sol oritur, Bernenſi Helvetiæ agro, & Ducatu Sabaudiæ, ab utroque interpoſito Iura monte diremptus, cujus partem mediam Comitatus hic noſter includit, ad altiſſima ejus juga porrectus: qua occidit Sol, Burgundiæ Ducatu, ac Baſſinonſi agro, majorem ejus partem ab his terminis Arari fluvio ſubmovente: à Meridie Breſſia, quæ olim Sabaudici, nunc Gallici juris, caput habet Burgum, Cæſari *Forum Sebuſianorum* nuncupatum: à Septentrionibus denique Lotharingia, Alſatia, ac Monbeliardenſi Comitatu, Principatuque Porentru: quibus terminis notior addi poteſt Vogeſus mons, à quo propinquæ huic regioni provinciæ quoque terminum accipiunt, in iſta olim Galliæ parte comprehenſæ, quæ *Maxima Sequanorum* fuit appellata. In hanc vero diem uſque incolæ hujus tractus Latinis *Sequani* dicuntur, de quibus Chifletius in libro, qui inſcribitur *Veſontio*, meminit, aitque Metropolim eorum Veſontionem fuiſſe, quæ nunc in Imperialium urbium eſt numero: licet Burgundiæ Comitatus fermè umbilicum obſideat, cujus Dominus, ipſius metropolis quoque protector ac cuſtos eſt. Is hoc protectionis jure judicem huc mittit ſeſſionis jus in Senatu urbis habentem, ac præſidiarium urbi militem imponit, cujus Præfectus Capitanei titulo decoratur; Vicarii autem, quod Præfecto provinciæ vicariam operam præſtet.

Diœceſis.

Metropolis hæc Archiepiſcopi, S. R. Imperii Principis, ſedes eſt, cujus ditio ipſo Comitatu Burgundiæ latius patet, nam & Vice-comitatum *Auſſonne*, & oppidum *Bellegarde* ſeu *Seurre*, cum nonnullis aliis Ducatûs oppidis complectitur: parentque Veſontino Archiepiſcopo Suffraganei *Baſle*, *Loſanne* & *Belay*.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopalis dignitas nuper ſedit humeris Marchionis *Marnay*, qui frater fuit Ducis *Pont de Vaux*, ſupremi antehac Bruxellis in aula Leopoldi Archiducis Auſtriæ, ac deinde Ioannis Auſtriaci prægustatoris. Præſul erat humanitate ſingulari, devotione eximia, ac judicio in florente ætate maturo.

Poſſident Veſontina in urbe Principes Auriaci, tanquam Cabillonenſis Domus hæredes, Vicecomitatum Majoratumque, atque hoc nomine ſuos Officiales hîc habent, qui certis in caſibus à Chifletio, & Ludovico Goluto in ejuſdem Notis Hiſtoricis expreſſis, juſtitiam adminiſtrant.

Diviſio Comitatus in Baillivatus.

Dividitur porro Comitatus Burgundiæ in Ballivatus ſive Præturas tres, quarum peculiaris deſcriptio deinde ſequetur. Prima Prætura *Amontia* eſt, altera *Avalia*, tertia *Dolenſis*: ſuntque præter has, Comitatus portiones duæ, quarum altera S. Claudii tribunali, altera Abbatis in Lexeul territorio ſubjecta eſt. Libera autem eſt ab omnibus hiſce tribunalibus ad Parlamentum appellatio, penes quod eſt ſumma dicundi juris, ac dirigendorum pacis bellique negotiorum quædam autoritas. Nam cum Præfectus Provinciæ moritur, Parlamentum accepto à Rege Hiſpaniæ mandato, Provinciam tantiſper ex Regis gubernat ſententia. Præfecturæ nunc munere fungitur Baro *de Scey*, Bauffremontia è Domo, qui & ſuperioribus bellis laudabiliter rem geſſit, & jam, ex quo pacata Provincia eſt, parem juſtæ feliciſque adminiſtrationis laudem meretur. Conſtituitur hoc Parlamentum Præſide unico, aliquot Equeſtri ex ordine viris, tam ordinariis quàm extraordinariis, aliquot item Magiſtris Libellorum ſupplicum, Eccleſiaſtico plerumque ex ordine creari ſolitis: Conſiliarii duo itidem Eccleſiaſtici, & duodecim Laici ſive ſæculares, quorum in numero ſunt bini Regis Advocati fiſcales. Prædictis omnibus Procurator Generalis accedit, qui plurimum autoritate valet: nam & liberè Senatui Parlamenti aſſiſtit, & Cameræ computorum ſeu Conſilio rationum intereſt, prædii ſeu patrimonii Regii cura ei peculiariter demandata. Procuratori huic ſubſtitutus eſt alius inferior, adjunctique Notarii duo, ac clavatores quaterni. Notarios autem ſeu Secretarios Procuratoris Generalis nunc agunt Antonius Beraurius, & Claudius Pautheretus, viri diligentia ac fide inſignes.

Præfectus Provinciæ Parlamentum pro libitu ingreditur, utpote qui ejus quoddam ſit membrum, ac primum à Præſide locum occupet: nec ab ejus ingreſſu Archiepiſcopus, veluti ſupremus libellorum ſupplicum Magiſter, excluditur.

Academia.

Parlamenti ſedes eſt Dola, urbs Academiæ quoque gloria illuſtris, quam Rector Magnificus, omniumque Profeſſores Facultatum componunt.

Monetæ ac computorum Cameræ.

Ibidem Monetæ computorumque Cameræ ſtabilem locum tenent.

His de cauſis caput Provinciæ Dolam indigetant: quanquam Salinarum oppidum Comita-

Burgundy, France
YALE UNIVERSITY LIBRARY
KARPINSKI - VON WIESER
MAP COLLECTION